



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Clementis Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

690 CLEMENTIS PAPÆ V. VITA.

dem fauorem impertiit, sed ad breue tempus tamen vt ipso rubeo prohibuit. Cardinalibus aliquot creatis, res Italiam componere studuit, vt iis sedatis, Christianis in Syria laborantibus auxilium ferre posset. Verum in ea deliberatione Perusium profectus, ibidem mortuus est ipsis Nonis Iulii anno 1304. cum sedisset menses octo, & dies septendecim, in ecclesia fratrum Prædicatorum sepultus est. Miracula ab ipso edita sanctitatis eius sunt euidentissima signa, nam ægrotos sanauit, & dæmoniacos liberauit. Post eius mortem sedes tredecim menses, & duos dies vacauit.

VITA  
CLEMENTIS PAPÆ V.

CLEMENS quintus Vasco, Bertrandus Gotto ante nominatus, ex episcopo Burdigalensi electus fuit ipsis Nonis Iunii, anno 1305. tempore Alberti imperatoris. Hic Burdigala Lugdunum pertransiens, eo omnes cardinales conuocauit, curiamque Romanam in Gallias traduxit, vbi septuaginta & amplius annis perseuerauit. Coronationi illius rex Franciæ, frater eius, & dux Britannia interfuerunt. Sardiniam Friderico Siciliæ regi dono dedit, ea solum conditione, vt ex ea Saracenos abigeret. Sectam Fratricellorum hæreticorum, ordinemque Templariorum multis erroribus implicitorum, Concilio Vienensis exterminauit. Venetos, qui cum præiudicio ecclesiæ ad Ferrariensem principatum aspirabant, excommunicauit. Idem bis contra Florentinos & Lucenses tentauit, quod ab armis contra Pistorienses sumptis abstinere nolent, absolutionem tamen postea, quod in Ferraria recuperanda pontificem iuuissent, consecuti sunt, Robertum, patre eius mortuo, regno Neapolitano inuestiuit. Henricum ducem Luxemburgensem imperatorem electum confirmauit, ea conditione, vt post biennium coronam accepturus Romam veniret. Bonam pecuniæ sumمام ad Lateranum incendio absumptum restaurandum misit. Diuersis ordinationibus plures cardinales creauit. Columnenses restituit: Nogaretum & Sciarrā ad instanciam & petitionem regis Franciæ absoluit. Verum Bonifa-

I T A.

CLEMENS C. SALTZBURGENSE I. HENRICVS VII.  
P. V. IMP. 691

cium, quod idem rex fieri importune solicitabat, damnare & improbare noluit. Cælestinum V. quem Petrum confessorem nominavit inter sanctos retulit. Ad extremum morbis exagitatus migravit e vita XII. Kalendas Maii, anno Christi 1314. cum sedisset annos octo, menses decem, & dies sexdecim. Sedes duobus annis, tribus mensibus, & septemdecim diebus vacavit. Clemens maiorum suorum secutus vestigia, legem a Gregorio latam confirmavit, & secundum Panuinum aliquid ei adiecit.

ANNO  
CHRISTI  
1310.

## CONCILIVM SALTZBURGENSE I.

CAVSA DECIMARVM SEDI APOSTOLICÆ  
soluendarum, habitum anno Domini M C C C X. tem-  
pore Clementis papæ V.

ANNO Domini M C C C X. conuocato pro-  
vinciali Concilio Saltzburgi, & proposita i-  
bidem petitione domini Clementis papæ quinti,  
concordauerunt omnes in hoc quod summa de-  
cimæ duorum annorum, si qua fuerit, vel esse po-  
tuerit persoluenda, solui debeat summo pontifici  
in terminis infra scriptis: ita dumtaxat quod pri-  
mus terminus solutionis facienda de primo anno,  
qui incipiet in isto proximo festo sancti Georgii,  
sit in proximo futuro festo beati Martini: & se-  
cundus terminus solutionis facienda eiusdem an-  
ni sit in proximo subsequenti festo sancti Geor-  
gii: & primus terminus secundi anni sit in alio sub-  
sequenti festo sancti Martini: secundus vero ter-  
minus & ultimus sit post hoc in subsequenti festo  
sancti Georgii: & quod decimam dabit de om-  
nibus possessionibus, bonis, & redditibus, & be-  
neficiis ecclesiasticis. Hæc de eis quæ beneficio-

Concil. Tom. 28.

S l s s ij